

V.

Anno 927—928. Spalati.

Decreta Synodi Spalatensis, praesidente Rege Croatorum Tamislao sancita, in quibus inter caetera antiqua Statuta et consuetudines Regni Croatiae confirmantur.

.... unde frequenter eadem poscentibus nobis definitionem recipere, hac de causa terminando injunctam sibi operis Bulgariam petentes Romano-rum Legati Madalbertus venerabilis Episcopus & Joannes Dux illustris Dux Cumas (Ducis Crumi?) quae sequuntur Epistolae, ad nos post biennium deveniunt. Pervenientes igitur praefati Legati ad confinia nostra, et sicut illis opus injunctum Apostolica jussione fuit, Bulgariam perrexerunt; quique peracto negotio pacis inter Bulgaros et Croatos repetito, iter ad nos Venerabilis Madalbertus Episcopus in Ecclesia Spalatensi adveniens, synodaliter nos Episcopos Joannem, Forminum, Gregorium cum Croatorum principe et ejus proceribus congregavit; cum quibus residens, cunctas provinciae antiquae consvetudines, justo moderamine perseverans, firmavit, omnia secundum veterum statuta in omnibus Ecclesiis Episcoporum privilegia redintegrari. Ita dumtaxat:

Ut Ecclesia Sancti Domnii, sicut ab initio primatum obtineat, et intra limites dioecesis suae cuncta canonice peragat. Similiter unaquaeque Ecclesia, vel civitas, quae Pontificali munere constipata consistit, simul sedem cum praefinitis terminis Dioecesi suae a Patribus institutis regulariter abutatur; tam Jadertina Ecclesia quam ceterae Ecclesiae Dalmatarum: Arbensis, Veclensis, Absarensis, quae sunt in occidentali parte positae, Ecclesiae vero aliae, quae in oriente habentur, id est Stagnensis, Ragusiana et Catharitana eandem plenitudinem (cum) sedibus & terminis suis in omnibus catholicae fidei dogma adsequuntur. Nonensis vero Ecclesia non Episcopum antiquitus, sed Archipresbiterum sub ditione Episcopi habuisse cognoscitur. Constat legitime ut ipse Episcopus in qualibet Ecclesia ex his Ecclesiis, quas primis temporibus habuisse Episcopos omnibus patet; cum sint utrinque omnes popolatae, et Deo adjuvante Sacerdotum et plebium copiam habentes, proponatur sive in Scardonitana Ecclesia, vel Sisciana, aut certe in Delminensi Ecclesia. Quod si immensum pontificii subire delectat, et unam sibi dioecesium sufficere non vult, harum trium magnitudinem Dioecesei ponderis ad interitum suum et eorum suscipiat; dum neque plebs perfecte ab eo pontificali munere percipere valeat gratiam juxta Sanctorum Patrum statuta, neque ipse adimplere suum in eis officium valeat, cum sit propter multa terrarum spatia difficile peragrari. His ita secundum apostolicam jussione Madalbertus venerabilis Episcopus perscrutatus omnia & comperta veraciter, feliciter sancivit; ita ut nullus unquam hujus ordinationis violator existat, cum cuncta quae praelibata per dictum